

Johann Esaias Rühle von Caspar Gärtner

## **Iniquitatis Accusatam Iurisprudentiam**

lenae: Literis Nisianis, 1675

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747430152>

Druck Freier  Zugang







V. N. 2 (80.)

1. Ma.  
2. Ma.  
3. Ma.  
4. Ma.  
5. Ma.  
6. Ma.  
7. Ma.  
8. Ma.  
9. Ma.  
10. Ma.  
11. Ma.  
12. Ma.  
13. Ma.  
14. Ma.  
15. Ma.  
16. Ma.  
17. Ma.  
18. Ma.  
19. Ma.  
20. Ma.  
21. Ma.  
22. Ma.  
23. Ma.  
24. Ma.  
25. Ma.  
26. Ma.  
27. Ma.  
28. Ma.  
29. Ma.  
30. Ma.  
31. Ma.  
32. Ma.



1. Marcov de jure auspicii apud Romanos.
2. Masoon de primatibus metropolitanis et reliquis episcopis ecclesie germanicæ.
3. Manbuch de jure deceptorum.
4. Struv de opificibus.
5. Struv de brachio sæculari.
6. Struv de jure socerorum.
7. Habermann de ratificatione.
8. Frommann de jure variandi.
9. Panouq de poena adulterii ejusque indulgentia.
10. D'Utée de mutuo publico.
11. Bardili unus testis nullus testis.
12. G. Engelbrecht de dotatione virginum nobilium in Pomerania.
13. Styrmann de minis seu conminationibus.
14. Marcov de verbis generalibus.
15. P. Müller de bene merito.
16. P. Müller de nova causa.
17. Werner de poenitentia.
18. Glaeser de libero arbitrio secundum jus civile et canonicum tam constituendo quam constituto.
19. Werner de auctionibus.
20. Both de resignatione domini judiciali.
21. P. Müller de evitacione majoris mali.
22. P. Müller de evitacione suspicionis.
23. Dyncker de vi legis in præteritum.
24. Mehlbaum de delictis imprimis de furtis.
25. Bühler iniquitatis accusata jurisprudentia.
26. Bechmann de actorum publicorum auctoritate.
27. Schwendendorffer de ultimis suppliciis.
28. Philippi jura circa cadavera humana.
29. P. Müller de præoccupacione fati.
30. Bornius de eo quod justum est circa destinationem.
31. Mylius de contractu libellario.
32. Minck de exceptione inhabilitatis contra advocatum.



33. Röder de prohibita rerum ecclesiasticarum alienatione.
34. Matthiae de denunciatione evangelica.
35. Straus de obligatione patris familias in cuius aedibus incendium ortum.
36. P. Müller de praescriptione Saxonica.
37. Stryck de iure oblivionis.
38. Lyser de robbaria et vi bonorum raptorum.
39. Nylius de libris mercatorum.
40. Romanus de varia injuriarum coercitione.
41. Linck de rubro nigro et albo.
42. Hahn de actionibus personatibus.
43. Brandt de legitima malefactor et fagor investigandi et convincendi ratione.
44. Ursinus de rationibus praefectarum. Auct. Buchner.



21  
25

J. J.

INIQUITATIS  
ACCUSATAM JU-  
RISPRUDENTIAM

*Illustris Consensu Ordinis*

PRÆSIDE

JOHANNE ESAIA Rühle/ D.

*ad diem 24. Novembris, ANNO M. DC. LXXV.*

publicè defendet

CASPARUS Gärtner/ Siles.



J E N Æ,

Literis NISI ANIS.



25  
25  
*Illustri ac Magnifico Domino*  
**DN. GEORGIO ADAMO**  
**STRUVIO,**

**U**ctorum Consummatissimo, Serenissimorum  
**Saxoniae Ducum Consiliario, Intimo eminentissimo,**  
**& Collegii Juridici Praesidi Ordinario ac Professore**  
Primario excellentissimo  
&c. &c. &c.

*Patrono meo omni observantia*  
*aetatem colendo.*

Gratam declaraturus mentem.

*Dissertationem hanc minime disertam*

*sacram offero,*

*Ejusque estimatissimo PATROCINIO ulterius*  
*commendo.*

**JOHANNES ESAIAS RÜHLE, D. & Praeses.**





Auxiliante DEO!

*Proæmium.*

**N**iquitatis accusatam Jurisprudentiam nostram defensuris, Civiliumq; Legū demonstraturis Justitiam de instituti & ratione & ordine pauca præmonere est animus. Ita autem universam hanc Diatriben ordimur, ut prius generale fundamentum Jurisprudentiæ nostræ tradam9, post dignitatem ejus summorum Virorum comprobemus testimoniis, dein adversarios (qui quidem nunc nobis succurrunt) producamus, hisque vel generaliter, vel in quantum pro ratione temporis fieri potuit, in specie ad illorum argumenta respondendo satisfaciamus; Hæc ergo methodus erit, hoc propositum, quod ut cedat feliciter Divinum Numen veneramur supplices, lectoremque ut æquus esse velit, eo, quo decet, rogitamus modo.

A 2

DIS-



## DISQUISITIO.

*De accusata sed defensa Legum Romanarum Justitia.*

**L**ucem Soli foenerari, aut omnem potius perdere operā videremur, si de Legum in Rep. necessitate multis verbis hic præfari propositi nostri esset. Id potius agendū est, ut de Romani Juris constet Justitia. Generaliter autem cum omnes Legislatores secundum Aristotelem id agant, ut nimirum fundatas in Honestate & Æquitate Naturali Leges condant, maxime Romanarum Legum Conditores (utpote quos dicente *Zonar. ad Canon. & Constit. Apost. l. 7. c. 27.* Deus elegit ut illorum ope Justitia Orbi terrarum luceret & splenderet) in his etiam omnium reliquorum vestigia egregie secutos fuisse facillime apparebit, si quis vel torvis modo Corpus nostrum Juris Justiniani inspexerit oculis, & indicat id statim *§. ult. Instit. d. Just. & Jur.* ubi expresse sacratissimus Imperator innuit omne Jus collectum esse ex Præceptis & Naturalibus & Gentium & Civilibus, quod etiam affirmat inter alias *lex 15. ff. d. Constit. Instit.* ubi sancitur: Si quæ lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est. Inde ergo liquet Legum Rom. fundamentum à priori esse rationem naturalem simplicem, & Jus hoc semper bonum & æquum esse *§. penult. Instit. d. Just. & Jur.* Præterea à posteriori etiam patet summa harum Civilium Legum Justitia & Æquitas, quam partim miramur investigatam, partim vero magis magisque investigandam du-

cism.u



5.  
cimus. Non equidem hic auctoritatis aliquid Romanis  
Legibus adstruere laboramus ab earum origine, quod  
quidam faciunt, qui ab antiquis illam repetunt fabulis  
ac nocturno cum Ægeriâ Numæ congressu, qua de re vi-  
deri possuit *Tit. Liv. l. 10. p. 25. Flor. l. 1. c. 1.* Sed illud potius  
agam, ut æquitatem earum atque excellentiam doctissi-  
morum Virorum probe testimoniis, qua quidem ipsa  
in re ne prolixus sim actumque agam, me remitto ad  
politissimum Scriptorem Arthurum Duckium in *Tract.  
de Auctorit. Juris Civil. Romanor. c. 2.* ubi plura notat. No-  
bis duo hic saltem memoranda veniunt, idque ea de cau-  
sa, cum à Viris undiquaque magnis hæc ortum trahant.  
Primi itaque testimonii auctor est J. C. t. eminentissimus  
STRUVIUS Patronus noster observandissimus in *Tract.  
d. Vind. priv. c. 1. aphor. 2. num. 4.* Nullas meliores inquit  
*Et æquiores invenias legibus Justinianicis, utpote quæ à pru-  
dentissimis J. C. t. (non obstantibus illis, quæ habet. We-  
senbec. in præm. Instit. d. Composit. Jur. in verbis: Sed  
qui dexteritate judicii &c.) Impp. postea confirmantibus ex  
ipsa Naturali Æquitate sunt deductæ, Et per easdem Jus  
Naturæ egregie est excultum: Unde etiam plurimis in ter-  
ris receptæ, Et ubique magnæ sunt auctoritatis:* Vid. eun-  
dem celebratissimum Virum in *Synt. Jur. Civil. Exerc. II.  
tb. 36.* Aliud in hanc rem testimonium quod adducere  
placet, ortum debet SCIPIONI GENTILI, Alberici fratris di-  
gno Germano, acuto & edecumata eruditionis Viro, dum  
scribit in Oratione de Lege Regia pag. 58. *Et seq.* Tota Eu-  
ropa ad hunc usque diem sua sponte, non imperio co-  
cto Jus Romanum & Codicem Justiniani colit, sanctissi-  
misque in rebus habet: Taceo Germaniam, Italiam,  
Galliam, Hispaniam, quæ quatuor maximæ & nobilissi-

A ; ma



mæ nationes Europæ numerantur : In ipso Imperio Tur-  
 cico summam esse Justiniani Codicis venerationem &  
 auctoritatem in Judiciis, quis non obstupescat? Atque  
 hoc Viri optimi & doctissimi scribunt, qui se etiam vi-  
 disse Constantinopoli Codicem hunc in tribunalibus  
 propositum, atque ad id tanquam ad oraculum Cadile-  
 scheros illos (judices sunt) recurrere affirmant. Neque  
 tamen hoc in Turcis, in Romani Imperii domicilio nunc  
 habitantibus, tam est admirandum, quam olim fuit in  
 Colchis, quos Agathias insignis Scriptor Historiæ non  
 Barbaros esse, neque ita vivere, ex eo probat, quod ad  
 Civile & Legale vivendi genus, ex consuetudine cum Ro-  
 manis traducti fuissent. Quamquam autem hæc ita se  
 habeant, non defuere, & desunt tamen insignes Jurispru-  
 dentia nostræ hostes, interque illos agmen ducit CYPRI-  
 ANUS REGNERUS Doctor & Professor Belgicus in *Tractatu*  
*quem inscribit Censuram Belgicam*, in cujus Scripti Præ-  
 fatione statim temerario ausu hac similitudine utitur,  
 quemadmodum Religio opus habuit Reformatione, eo-  
 dem etiam modo Romana nostra Jurisprudentia Refor-  
 matione indiget, egregium sane simile & nunquam fat-  
 laudatum tanti Viri iudicium; Quis saniorum unquam  
 dixerit, Veram Religionem ulla indigere potuisse refor-  
 matione? nullus, nemo, nisi omnis expertus iudicii. Sicut  
 autem nimium nimiumque hæc claudicant, ita etiam  
 Regneri sæpius in hoc scripto scientia, dum se electum  
 ad id arbitratur, ut Censuram suam & Animadversiones,  
 seu ut verius loquar, Correctiones in leges Imperatoris  
 nostri tanquam legitime vocatus censor emittat, sed an  
 nescis Doctorum, qui haberi vis, maxime, qui que nobis  
 integros & transcendentales promittis Commentarios  
 Regne-



7.  
REGNERE, Mureti ad l. *non omnium ff. d. LL. iudicium*, di-  
centis: neminem sibi tantum arrogare debere, ut sapien-  
tior sit ipsis Legibus? quare itaque gloriaris, Te *solan-*  
veram commentandi rationem invenisse, & singularia  
singularium rerum usum demonstrando præstitisse? Sed  
nolo pluribus Tibi ruborem excutere. Desino itaque  
atque aliis censurandam Tuam Censuram committo  
cum instituire illam ex professio hujus loci non sit: inte-  
rim ad alios me confero, qui infensissimum suum erga  
Imperatorem ejusque Leges testantur animum: nomino  
autem ANTONIUM MATTHEUM, Doctorem olim  
ac Professore illustri Groningæ Universitatis: Hic e-  
nim in suis, ut vocari amat, Collegiis Juris sex, comprí-  
mis vero in primo Colleg. fundamentorum Juris liben-  
tius Legibus Romanis se opposuit: AUTUMNUM item al-  
lego in *Tract. d. Collat. Juris Romani & Gallici*, unde plu-  
rima supra memoratum Regnerum hausisse censet Excel-  
lentiss. Dn. D. Haberkorn in *Disputat. quadam de Justit.*  
& *Jur. qua Titulum hunc contra falsissimas Naturalistarum*  
*aliorumque Criticorum imputationes liberare voluit in*  
*principio*. Cæterum inter Juris Romani hostes quoque  
referendi veniunt BUGNO *d. LL. abrogatis, it.* SIMON à  
GROENEWEGEN *de Legibus abrogatis & inusitatis*, FA-  
BER & per multi alii, ad quos etiam refero illos, qui in-  
cidenter hinc inde, propter latentes sæpius constitutio-  
num rationes, Leges navorum & iniquitatis accusant, in  
quorum numero deprehendo quoque CONNANUM,  
HOTTOMANNUM, CONTIUM, WESENBECIUM,  
RÆVARDUM, CUJACIUM omnes alias solidissima eru-  
ditionis viros multosq. alios: neq; exemptos volo quãpluri-  
mos Moralis nostræ Prudentiæ Doctores, alias Moralistas,  
qui



qui dum omnia ad Cynosuram suam dirigere volunt, misere fallunt atque falluntur: *de quibus videatur profunda scientia Scriptor LUDOVICUS MONDALTIUS in Literis Provincialibus de morali & politica Jesuitarum Disciplina, ibique Excellent. Dn. SAMUEL RACHELIUS in Examine Probabilitatis.* Enim vero I. observare sapius rigidi hi morales Censores debuissent Leges quasdam, quæ videri possent injustæ, in respectu tamen ad Rempubli-  
cam ejusque conservationem pro justis haberi posse & indulgeri, idq; sapius majoris mali alias obvenientis intuitu: sic v. g. licet ex testamento minus solenni obligatio quidem naturalis oriatur, & naturaliter justum sit, ut suprema defuncti voluntas servetur, civiliter tamen hoc non item (recte vero) observatur. (II.) Attendere debent aliud esse in Legibus Civil. præcipi, aliud permitti seu non prohiberi: plura enim præcepta arbitrantur, cum tamen non nisi permissiones sint (in quorum etiam numerum refero plurimas, quas pro iniquissimis habet, consummatissimus in alma Leucorea Jctus ZIEGLERUS leges allegatas ab ipso in suis ad Grotium Curis) in tantum autem Justitia permissiva Legum Civilium se extendit, ut etiam contra naturæ Jura recte dari possit *et u patet ex Elementis Jurisprudēt. Celeberrimi Dn. PUFENDORFII Definit. 13. §. 18. dum dicit: Quod si autem aliqua lex naturæ per Imperium Civile vim Juris Civilis non acceperit, obligat illa quidem homines sed ita, ut ob eam violatam neque in Civitate actio intendatur, nec pœna ibidem infligatur, sed soli fori divino & conscientiæ istius violatæ persecutio relinquatur: Sic v. g. etiam si ad officium gratitudinis per legem naturæ quilibet teneatur, ita ut revera peccet, qui quantum in se fuit, gratitudi-*  
nem



nem adversus benefactores non exhibuit: tamēn ubi circa eam nihil est in leges Civiles relatum, alter per vim fori Civilis ad gratiam referendam adigi non potest. Quo proprie referendum illud Senecæ: Quam angusta res est ad legem bonum esse? Quando laxius officium patet, quam juris regula? Quam multa pietas, humanitas, Justitia, fides, exigunt? quæ omnia sunt extra publicas tabulas. Ratio autem, cur non omnibus Juris naturæ præceptis vim Juris Civilis contulerint legislatores, est, quia ipsis de his potissimum cura erat habenda, sine quibus tranquillitas interna Reipubl. omnino constare non poterat. Reliqua omittere visum, tum quod illorum executio immensam tribunalibus generatura esset litium segetem, tum quia bonis viris maximam suæ laudis velut partem illibatam volebant relinquere, sola Numinis reverentia citra metum pœnæ ab hominibus imponendæ recte egisse. Sed ut ad ea revertamur, undē digressi sumus, Jctis quibusdam Iniquitatem Legum Romanarum accusantibus præclare satisfecit in legum quarundam dilucidatione quoad illorum justitiam Jctus egregius JACOBUS MÆSTERTIUS in tract. de Justitia Legum Romanarum, nec non post fata quoq; decantatissimus Jctus TAMBOR in Element. Jurisp. à nœvis atq; variis impetitionibus imperitorum liberatis, quanquam sparsas hic inde flores hæc melius dixerimus. Optandum enim esset, ut incepta sic à Mæstertio via omnium Legum dilucidata esset Justitia. Cæterum communiter quoad Justitiam LL. in contrarium adduci solet l. 3. ff. d. Offic. Prator. unde deducere conantur quidam DD. quod communis error jus faciat, ast ista lege melius inspecta contra mentem ipsius le-

B

gis



gis id esse facile constabit: formabimus itaque Legis huius casum, quem sub Antonio, tempore triumviratus accidisse Suidas refert: Is autem sic se habet: Barbarius (aliis Barbius) Philippus (alias Philippicus) servus fugitivus uno atque alio facinore insinuavit se in aliquorum præprimis dicti Antonii amicitiam, quorum suffragiis Prætor creatur, accidit autem ut post aliquod tempus cognitus esset ex servitute fugitivum se multo ære liberasse. Hinc quæstio orta an Prætor fuerit? quod putabat quidem Pomponius, contra vero Ulpianus ipsum non Prætorem fuisse, sed Prætura saltim functum iudicat, cuius etiam rationem lex probat propter utilitatem eorum, quia apud eum egerant, ut scilicet nihil eorum quæ edixit, quæ decrevit reprobetur. Sed unde hoc argumentum quando dicunt: *Error communis jus facit*, ortum ex hac lege & casu nostro trahat nullus video, cum illa saltim quæ gessit propter interesse populi ejusque utilitatem fuerint confirmata: Præterea quoque adducunt in contrarium *leg. 20. § 21. ff. d. LL.* ubi dicitur: non omnium quæ à Majoribus constituta sunt rationem reddi posse: Et ideo rationes eorum quæ constituuntur inquirere, non oportere, alioquin multa ex iis, quæ certa sunt subverti. Ex quibus Legibus probare aliqui volunt Jus non ratione & sic nec Justitia niti. Sed sciendum hic est (licet DD. varii sint in eruendo harum Legum vero intellectu) hanc *leg. 20.* referri debere non ad quaslibet Juris propositiones & sententias, sed ad eas tantum quæ sunt Juris Positivi & Constituti, cum illorum, quæ naturali rationi serviunt; facile dari possit ratio, quæ vero ex mera Legum Civilium ratione dependent, ea vel obscura ha-

bea-



beatur vel nulla: exemplo 7. testium in Testamento. §. in  
 Codicillo cum plures tamen & pauciores esse possint.  
*Vide in hanc rem plura eaque præclara in Otio Uratislavi-*  
*ensi Viri in omni eruditione versatissimi NICOLAI HENE-*  
*LII ab HENENFELD Cap. 40. iv. in Tract. d. Ver. & Simu-*  
*lat. §. Ctorum Philosopb. Juris Consultissimi Domini BRAN-*  
*DES Consilarii Vangionum meritis suis Clarissimi, Fautoris*  
*estimatissimi c. 7. p. 157. nec non in Membr. apud LYKLA-*  
*MAM ad hunc loc. aliosque. Quod vero nunc attinet*  
*leg. 21. hoc tit. ea intelligenda est, de infructuosa subtilita-*  
*tis inquisitione, qua nihil aliud intendimus, quam ut Le-*  
*ges ludibrio habeantur: alias enim subtiles rationum di-*  
*versitatis ponderationes quod attinet, illas ipsas evolve-*  
*re jussit sacratissimus Legislator in l. 2. §. contrarium C. d.*  
*Vet. jur. enucleand. & ex hac etiam vera & non simulata,*  
*Philosophia demonstratur per applicationem scil. ratio-*  
*nis in Legibus quoad Casus non expressos (ad quam ta-*  
*men requiritur ut lex sit generalis, prout XII. Tabb. le-*  
*gitima agnatorum tutela producta est ad tutelam Patro-*  
*norum, parentum, fiduciarum,) de qua applicatione o-*  
*mnino videatur citat. Excellent. Dn. BRANDES dict. tract.*  
*cap. 8. pag. m. 163. Cæterum quidam circa hanc materi-*  
*am Justitiæ urgent l. 14. 15. 16. ff. d. LL. verum id tanti vix*  
*ast, ut responsum hic mereatur; in illis legibus enim sal-*  
*tim dicitur, quod contra rationem Juris multa non pro-*  
*cedant quod justissimum est: sic ratio Legum generalis*  
*suadet, iisdem Juribus uti debere omnes subditos,*  
*ast, ubi præclara alicujus in Rempubl. prostant merita,*  
*privilegium illi concedi optime poterit. Præterea adhuc*  
*alii sunt, qui Iniquitatem hic demonstraturi Jus nostrum*



opinionem saltem, non ratione niti volunt; Optime! niti-  
 titur Jus nostrum, quatenus scilicet inventum proprium est  
 Reipublice Romanae, Opinione, id est ratione aliqua proba-  
 bili, quae opponitur rationi constanti, necessariae, uni-  
 versali, communi, atque ex se semper iustae, & quae nec  
 aliter esse poterit: *videantur plura huc pertinentia Exer-*  
*cit. 1. Posit. 7. Illust. Quæstion. acutissimi quondam JCTI*  
*FRANTZKII adq. eã b. m. FIGIBIUS Antecessor olim hujus*  
*loci Clarissimus in Vindic. nec non FRANCISC. CONNAN.*  
*in Comm. Jur. Civ. l. 1. c. 1. num. 3.* Hæc itaque quoad ge-  
 neralia sufficiant. Nunc ratione propositi nostri nihil  
 amplius restat, quam ut positiones quasdam contra in-  
 fensissimos illos viros MATTHÆUM, REGNERUM, ali-  
 osque subjungamus, ut nimirum inde constet reliqua-  
 rum Thesium veritas: omnes enim nunc examinare nec  
 temporis nec instituti admittit ratio. Hisce ergo cona-  
 tibus nostris benevolam Lectorem contentum fore  
 nullus dubito.

*Sit ergo contra*

ANTHONIUM MATTHÆUM  
 Positio I.

**I**saudem Colleg. 1. per tot. Diss. VII. it. Disput. XI. Thes. 6.  
*ita loquitur: Quæ Impietas? Jura permittunt (1) Con-*  
*cubinatū (2) Lupanaria (3) Circumventiones in emendo,*  
*vendendo, locando, cōducendo, (4) Ἀντιχειρίας fervorū,*  
*(5) servos quadrupendibus exæquant, (6) foenns probant*  
*(7) torturam modum eruendæ veritatis statuunt (8) colo-*  
*rem rei quærunt (9) matris consensum in contrahendis*  
 nuptiis



B

nuptiis liberorum uegligunt, (10) nuptias injussu Parentum contractus non rescindunt; Sed quæso quis hic non videt, Matthæum non fat intellexisse, ut ad primum respondeamus, quatenus in Jure Concubinatus sumatur: ibi enim non permittitur is solum, quod Matthæo facile largior, sed etiam comprobatur, idque patet *ex toto tit. D. & C. d. Concubin. Paul. lib. 2. recept. sent. tit. 20.* unde etiam *Papinianus sui ævi CUJACIUS* Concubinatum Jure Civili licitam maris atque foeminae conjunctionem, individuum vitæ societatem continentem, absque ritu tamen & Jure nuptiarum ( non vero furtivam coitionem ) definit. *in ff. b. r. ex qua definitione legibus nostris ubique conformi nullus vitiositatem mihi Concubinatus demonstrare poterit: quare etiam Marc. Anton. d. Dominis d. Republ. Ecclesiast. lib. 5. cap. 11. n. 66. p. 317. dicit: Si concubina sit vera uxor coram Deo, h. e. cum conjunctione indissolubili unius non conjugati, cum una non conjugata, tametsi tabulæ conjugales non intercedant, tunc concubina erit in essentialibus & jure, divino, naturali vera uxor, licet in foro Civili, (puta quoad effectus à nudo Jure Civili pendentes) talis non sit futura. Ex his dictis ergo patet, dictum Matthæum injuste iniquitatis Jus nostrum Civile secundum priorem hanc sententiam accusasse: quod si vero ad Concubinatum sequentia pertinere requisita judicaverit, nimirum: ut contractus sit propter solam explendam libidinem, eamque diurnam, non vero perpetuam & sine maritali affectione, sine legibus loquitur, sine quibus loqui alias nos erubescimus. Ad secundum nunc accedimus, Lupanaria scil. ubi Auctor noster Matthæus illorum impiam permissionem de Jure*

B 3

Civi-



Civili statuit, idque per leg. ancillarum 27. §. 1. ff. d. petit. heredit. Sed perperam: In dicta enim lege ne vocula quidem de tali permissione habetur, ut autem unicuique id ad oculum pateat, adscribam dicta legis 27. §. 1. verba, illa hæc sunt: Sed & pensiones, quæ ex locationibus prædiorum urbanorum perceptæ sunt, venient, licet à lupanario perceptæ sint, nam & in multorum honestorum Virorum, prædiis lupanaria exercentur. Ubinam autem hic quicquam de Justitia permissiva lupanariorum habetur; hic enim saltim sermo est de casu, ubi de facto exercentur, & quidem in prædiis honestorum virorum, sed harum ædium usum ignorantibus, cum alias vix tali nomine (honesti viri scil.) gaudere possint. Hæc adhuc ut clariora fiant, dilucidabimus exemplo. Vir quidam honestissimæ vitæ & in omnibus innocens ædes ruri possidet, quas conducit illi, cujus unica finis est, ut insidiari ex illis viatoribus possit; quis hic ex tali facto illicito ipsa probabit latrocinia? nullus sane, cui vel mica sanæ mentis residua est. Cæterum posito (nunquam vero concessio) permessa esse Jure Civili lupanaria, neque hic tamen Anthonius Matthæo noster Jurisprudenciam accusare poterit, nam quis nescit Jure Magistratum ob metum scil. majoris malipœnam condonare posse, reservando tamen abrogationem illorum totalem ad magis proficua Reipubl. tempora. Cæterum alii adhuc circa hanc materiam urgent l. si uxor 13. §. 2. ff. ad Reg. Jul. d. Adult. it. l. si ea 22. & 29. Cod. eod. Sed in Discursu de his videbimus. Nos interim ad tertium accessum paramus, ubi auctor quoque impietatis accusat. l. 16. §. 4. de Minor. it. l. 22. §. quemadmodum ff. locati, quoniam circumventiones in  
emen-



emendo, vendendo, locando, conducendo, ibi permittuntur, sed notandum hic venit, *licere*: ibi secundum explanationem HUGON. GROTI. *d. J. B. & P. l. 2. cap. 12. thes. 26. aliorumque Doctorum*, non quidem sumi pro eo quod fas est, sed pro tali permissione contra quam nullum proditum est remedium in eum, qui se pacto velit defendere, comprimis cum hæc circumveniendi licentia inde procedat, (*ut dixi in Curios. meis Justinian. lb. 26.*) quod pretia rerum certa intrinsecus non dentur, sed omnia ex indigentia, raritate aut ubundantiâ earum extrinsece superveniant: adeoque cum non constet legislatori semper, quanta necessitate opus habeant re emptor, pretio venditor, illa æstimatio permissa sit partium contrahentium sedulitati ac circumspectioni, non quidem dolosa illi, & ex animo ad fraudem composito proventi, sed quæ potius utrumque & rei & pretii possessorem eo adigit, ut ille magis rem sibi conducere, hic premium negotiationi suæ valentius prodesse arbitrentur, quod dolo in re latenti, & ei, qui à persona proficiscitur, opposito communiter adscribunt. *Vid. hic quoque illustris STRUVIUS in syntagma. Civ. Exerc. 23. lb. 20. qui eandem fovet sententiam.* Rursum ergo ex his patet Censuram Matthæi in hæc loca nullam esse: IV. Authochiriam servor. quod attinet quam *d. Jur. Civ. permitti arbitratur leg. 9. §. 7. ff. d. Pecul. Anton. Matthæus (eandem sententiam quoque suam faciunt HORTENSIUS ad §. 3. Inst. d. Just. & J. & ex eo UNGEBAUERUS Jctus quondam & Ordinarius hujus Salana famigeratissimus Exerc. Justin. r. quæst. 3. in ajo)* iterum fallitur, dum voculam *licet*: non debito modo explicat, nam vocem istam de eo intelligit,



git, quod ex omni parte rectum justumque est, si non secundum justitiam præceptivam, tamen permissivam, cum tamen interpretari debuisset pro libertate ab ipsa Natura insita de facto se occidendi & sic nulla ratione injusta hæc lex haberi poterit *Vid. iterum Curios. mea Justiniana cit. thes. 26.* Præterea quinto calumniatur Jus nostrum Matthæus, dum impium illud esse judicat, quia in *leg. 2. §. 2. ff. ad L. Aquil. dicitur: Servis nostris exaquari quadrupes;* sed scire debuisset Dn. Censor, non ita intelligenda, quod majoris non sit faciendus homo, quam quadrupes, sed quod in pœnis modus iste sufficere visus sit, quo damnum resarciretur Domino: Coniunguntur ergo hic servus & quadrupes, non ac si unum non sit nobilius altero, sed ea de causa, quia utrumque in bonis Domini est, unde hac ratione in effectu J. C. nullam personam habent *Theoph. init. de. Stipul. Servor.* nullam injuriam patiuntur §. *servis Instit. d. Injur.* nihil sibi acquirunt, sed Domino *l. 79. d. Acquir. Hered.* interfici poterant à Dominis *l. 1. §. 1. ff. d. bis, quæ sunt sui vel alien. Juris æstimabantur vulgariter 20. aureis l. 1. Cod. Com. Serv. manum* Sed ad sextum nunc accedimus, ubi autor cum aliis Theologis, Scholasticis, Canonistis, Legistis hoc in Jure accusat, quod fœnus scilicet permittatur in *l. 3. C. d. Usur. & alibi* cum tamen contra innumera S. S. id pugnat loca, præprimis *Psal. 15.* sed respondemus loca illa omnia conferenda sunt cum scopo divinæ legis qui est caritas, dicente *Paulo 1. ad Timoth. 1.* Finis legis, est Caritas. Ex hoc autem sequitur, Usuram non nisi Lege divina prohibitam & illicitam esse, nisi in quantum est contra caritatem; cum autem Usura multipliciter sumatur, illa sola prohibetur



betur & damnatur, per quam caritas & dilectio proximi offenditur, & ita omnia loca sacrae paginae intelligenda veniunt; Jura nostra quod attinet, neque illa usuram admittunt, nisi his fundatam principiis. Vid. MOLINÆUS in *Tract. d. Commerc. num. 10. 11. 12. &c.* VII. jam quod attinet, taxat quoque Autor Jus nostrum, & impietatis accusat, cum torturam modum eruendae veritatis statuit; sed audi loquentem hic *Lesium lib. 2. c. 29. dub. 17. num. 152.* Si enim tortura, inquit, vehementia quando urgent indicia, ita ut moraliter certum sit ipsum autorem esse, adhiberi non posset, improbi audacter peccarent, damna & injurias aliis inferrent, quando putarent se testibus, vel externis judiciis non conveniendos, dum vero vident in judiciis vel uno teste tormentis subjiciendos, se continent. Accedit quod pleraque maleficia gravissima non possint puniri, quia paucis vel nullis consciis committuntur, cum tamen id ad bonum Reipubl. sit necessarium; alioquin omnia sceleribus & sceleratis essent plena. *Hec Lesius. Videantur hic quoque Augustin. d. Civitat. Dei lib. 19. cap. 6. Zepp. d. Legibus Mosaicis lib. 5. c. 10. Cover. Pract. Quæst. cap. 23. nu. 5. Anton. Matth. (diversus tamen Scriptor à nostro) in Comment. ad lib. 47. 48. ff. hoc tit. cap. 5.* Ceterum auctoris nostri partes defendere conatur, conatu tamen inani, JUST. OLDENKOP. in *append. observat. Crimin.* comprimis dum urget, fieti, ut & innocentes hac ratione torqueantur, sed quid est in rebus humanis, ubi non dentur inter commoda etiam incommoda? quis tollet usum propter abusum? quis damnabit judicia, cum accidat propter casum intricatiorem nonnunquam innocentem in illis damnari: Hac ergo Mat-

C

thæi



thæi sententia iterū rejecta de Octavo videbimus, nempe  
 Colore & an iste veracitati adversetur? quod autor *occa-  
 sione l. 2. ff. d. in offic. testam.* statuit, cum sermo noster esse  
 debeat Ita, Ita, Non, Non. Verum enim vero sciendum  
 est, quod qui inofficiosi testamenti querelam movet  
 ipsam veritatem nude & simpliciter profiteatur: ait enim  
 se ex hæredatum & præteritum esse, & allegat, quare ex-  
 hæredari aut præteriri non debuerit: nempe quod non  
 ex officio pietatis factum esset testamentum, idque hac  
 lege Color dicitur: *Videantur plura apud JACOBUM  
 MOESTERTIUM d. Just. LL. Roman. lib. 1. dubitat. 40. it.*  
 quatenus sint permitti & prohibiti Colores *Disp. Inaugu-  
 ralis Dn. Guldes Aldorphi nuper habita d. hac materia.*  
 Nunc (9) quatenus iuste matris consensus in contrahen-  
 dis nuptiis liberorum negligi possit contra Authorem,  
 notabimus, quanquam Lege Decalogi, & patri & matri  
 similis reverentia debeatur & *l. quoque 42. ff. d. rit. nuptiar.*  
 consensum matris requiri videatur: Sed animadverten-  
 dum est: Jure Civili Romanor. illorum tantum necessa-  
 rium postulari consensum, in quorum sunt potestate, &  
 sic respectu patriæ potestatis ex hoc Jure ortæ matris  
 consensum necessario non attendi. Constitutum au-  
 tem id est à Romanis Legislatoribus, partim propter de-  
 stitutam in muliere auctoritatem, partim judicii debilita-  
 tem, mutabile consilium, aliaque quamplurima. Natu-  
 ralem autem reverentiam quod attinet, de qua loquitur  
 præceptum Decalogi lubentissime fateor, æquum & bo-  
 num esse & secundum obsequii leges liberorum matris  
 consilium & arbitrium in nuptiis attendi, hinc autem in-  
 ferri statim non potest ob neglectum illum consensum  
 nuptias



nuptias rescindi debere liberosque illegitimos esse, comprimis, cum naturaliter, si contendant inter se imperia, patris proferatur propter sexus præstantiam, dicente GROT. *d. J. B. & P. lib. 2. c. 5. num. 1.* Quod autem *dict. leg. 42.* attinet; Respondeo aliam honestatem præcipi, aliam suaderi *1. ad Corinth. 7. in princ. & vers. 25.* Sed nunc ad ultimum me accingo, cujus in hac nostra thesi Autor inique meminit, illud hoc est; quod scilicet nuptias injussu parentum contractas lex (*Paul. 2. sentent. 19. l. 1. §. ult. ff. d. liberis exhibend.*) non rescindat, cum tamen absurdum sit, vitiosum per æque vel magis vitiosum confirmari. Sed ut & in hoc satisfiat Autori nostro, respondemus, quod attinet locum Pauli, illum intelligendum, de matrimonio ab initio consensu Patris contracto, quod postmodum patre solo volente distrahi non debet: vitiose itaque hunc locum de consensu parentum vitiositatis arguit CUJACIUS *lib. 3. observ. 5.* GOTHOFR. *ad l. 25. d. Rit. nupt.* quod vero *l. 1. §. ult. ff. de liber. exhibend.* attinet, illa lex de legitime contracto matrimonio accipienda est, & ita quoque loquitur *l. 11. C. d. nupt. Add. hic MOESTERT. lib. 11. pag. 213. acutissimus RIEMERUS Exerc. 11. thes. 5.* Et sic persuasum nobis nunc est Antonio Matthæo quoad hanc thes. satisfactum esse. Ampliorem autem de his hic instituere discursum, nostri instituti non admisit propositum. Sed potius ad alia quædam Matthæi loca accessum paramus, de illis, quæ sit sententia nostra, dicturi.

## Positio II.

**T**hes. vero 24. *disp. VII.* fundam. Jur. sequentia habet:

C 2

Retor-



Retorquere injuriam verbis illatam, & convicianti conviciari licet *l. quæ omnia 25. ff. d. procur. l. qui cum major. 24. §. si libertus ff. d. bonis libertorum.* Ego contra: Non reddetis malum pro malo, aut convicium pro convicio *1. Pet. 3. v. 9.* Sed quod hæc attinet, nuperrime istam controversiam elegantissime ventilavit in solida sua Responsione & vindiciis Jcti Magnifici Struvii adversus Consultiss. Dom. **Pfantuch** Nobilissimus Dom. D. SLEVOGTIUS Fautor atque Amicus honoratissimus, ad quam, brevis in his ut simus, nos remittimus aliam assumentes Controversiam, quæ habetur *Citat. Disput. VII. tb. 12. 13. 14. 15. d. iniquitate transactionis in Criminibus, ob læsam rempubl. & violationem divini præcepti.* Sed respondemus nulla ratione sic lædi Rempubl. cum unumquemque saltim contrahentium illud pactum stringat, nec contra divinum præceptum quidquam ibi statui, cum locus à *Matthæo* citatus *Num. 35. v. 31. & seqq.* de omnimoda impunitate homicidæ concedenda loquatur. Plura notanda, quidem hic restant, sed tempore destituti unum saltim adhuc contra *Matthæum* notabimus, reliquorum Analysis ad varios hinc inde scriptores remissuri: habetur autem illud *Disput. XI. tb. 7.* ubi dicit Author: An pulchrum hoc tibi videtur, & rationi consonum, ex complexibus nefariis incestis, damnatis nati neque alendi à parentibus sunt. *nov. 89. cap. ult.?* Sed respondeo: Quanquam communiter à DD. hic locus de alimentis non à parentibus sed potius Magistratu liberis incestuosis suppeditandis intelligatur, non tamen illa arridet opiuis, sed potius placet Mæstertii mens existimantis, per alimentorum interdictionem nihil aliud intelligi debere quam alimenta  
Civi-



Civilia deneganda esse hisce liberis, non vero stricte & secundum naturæ indigentiam ita sumta, *quod etiam latius deducit dictus MÆSTERTIUS lib. II. d. Just. Leg. Romanar. dubit. VII. pag. 227. quem vid.*

Nunc paucis etiam de imputata

## à CYPRIANO REGNERO

Juris Civilis Injustitia videbimus: sit ergo hæc Thesis I<sup>a</sup> Inter alios errores autem quos fovet quāplurimos hic Autor, *in Diss. ad Instit. tb. 4.* contrariari etiam universalibus istis Juris principiis permissum de Jur. Civil. Conubinatum & lupanaria statuit; sed cum jam supra *Antonio Matthæo* ad oculum id falsum esse fuerit demonstratum, hujus loci non est ad nauseam illud repetere. Id potius agamus oportet, ut de Usucapionis constet justitia, quam ubique fere in suis Scriptis iniquitatis accusat, unde *et Diss. VII. tb. 4. inquit: Et ne amplius dissimulem, quod sentio, rotundo ore dico, Jus Usucapionis et Præscriptionum Juri divino adversari Exod. 20. v. 15. Matth. 7. v. 12. 1. Thes. 4. v. 6.* Sed sciat Regnerus omnia hæc adducta ab ipso loca pro sua nec quicquam facere sententia: Primum enim dictum quod attinet, generaliter in eo prohibetur, ne quis furtum faciat, quod huc tamen inepte applicatur, cum furto subtracta res hæc censerī non possit, quæ autoritate Juris alicui sit propria. Justitia autem hujus Juris consistit in Utilitate publica, quæ suadet, ne scil. quarundam rerum diu & fere semper in certa dominia essent *l. 1. ff. de Usurp. et Usucap. & aliquis litium finis l. usucapio. pr. D. pro suo & dominorum negligentia coercetur l. ult. in fin. C. d. annal. except. Vid. plura apud*



Ludwell. *disp. 6. th. 6. lit. a. Habn. ad Vvesenbec. ff. h. t. nam.*  
 9. II. Locum Matthæi quod attinet, generale illud ibi ha-  
 betur præceptum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*  
 Sed neque illud hic quadrat, cum ista lex d. officio cari-  
 tatis non vero pœnalibus loquatur, & dictum quoque *i.*  
*ad Theff. 4. v. 6.* intelligendum veniat de impia atque do-  
 losa circumventionem, non vero Usucapione, utpote  
 quæ sine dolo est. *Plura eaque præclara in banc rem vide*  
*apud Hugon. d. Roy in Tract. d. eo quod just. est. lib. 3. tit. 4. p. 25.*  
 Denique secundo etiam notamus ex *Disput. ad Instit. o-*  
*Etava. th. 5.* eundem errare errorem cum *Anton. Matth.*  
*Cyprian.* nostrum, dum à Lege divina alienam putat ne-  
 cessitatem VII. testium in testamentis Paganorum pro-  
 pter præceptum Dei *Deut. 19. v. 15.* ubi Deus duo præcipit.  
 Primum est: unius testimonium non audiri debere. Se-  
 cundum: ut omnis rei veritas consistat in ore duorum,  
 vel trium. Eadem regula inculcatur quoque per Chri-  
 stum *Matth. 18. v. 16. Johan. 8. v. 71.* Næ nos ergo subsistere  
 debemus? *inquit, Regnerus cit. loc.* ubi subsistit Spiritus  
 S. nec oportet nos Deo sapientiores velle videri, si in  
 capitalibus causis duo testes sufficiunt, cur non etiam in  
 testamentis, ubi duntaxat de bonis agitur. *Deut. 17. v. 6.*  
*1. Tim. 5. v. 19.* Sed ad hæc respondemus: In his Sacræ Scri-  
 pturæ locis mentio fit duorum vel trium testium, non ut  
 plures excludantur, comprimis, ubi publice interest ad  
 omnis fraudis removendam suspicionem alios adhuc ad-  
 hiberi, sed potius, quia unius nimium fallax testimoni-  
 um: cum autem ultimarum voluntatum materia nimi-  
 um variis fraudibus sit obnoxia optime Romani Legisla-  
 tores fecere, dum mediocrem & quasi sanctum illum &  
 per-



13.  
perfectionis numerum septinarium ad sufficientiam testi-  
fium eligerunt; Hæc ergo vera constitutionis hujus est  
ratio. Quod vero nunc attinet rationem diversitatis,  
cur scilicet in causis capitalibus duo testes sufficiant; cum  
tamen in Testamentis id non procedat, illa hæc est, quod  
nempe in materia testamentorum hac ratione præscin-  
datur occasio inhiandi agonizantium bonis, quæ sæpius  
daretur, si duo testes omnia agerent: quæ ratio, cum in  
causis capitalibus adesse vix possit, duo maxime sufficere  
visi sunt. Plura quidem dicenda nunc restant, sed hic  
pedem sistimus, Deoque piissimas habemus gratias pro  
divina sua in argumenti hujus pertractatione assistentia.  
A Te vero candidissime Lector rogitamus, ut errantibus  
ignoscas amicaque fronte hæc accipias. Concludimus  
itaque verbis Horatii

*Si quid novisti rectius istis  
Candidus imperti; si non, his utere mecum.*

## COROLLARIA.

I.  
**P**rinæps sine citatione & ordinariâ causæ  
cognitione reum salvâ æquitate conde-  
mnat.

2. Divisio Majestatis in realem & perso-  
nalem nulla est, hinc

3. Principem & in regno Electitio deponi,  
facti non juris est.

4. Privilegia in Contractum abeuntia non pos-  
sunt revocari.

5. Quod



5. Quod in diem debetur, etiam ante diem rectè solvitur, etiam si dies in favorem creditoris adjectus sit.

6. Et provocantem & provocatum altero in duello interfecto, ordinariâ eademque poenâ affici, æquitatis est.

7. Quæ honestè licet petere, etiam honestè accipiuntur, quæ verò honestè licet accipere, non semper honestè petuntur.

---


**H**Actenus ingenium sublimi ac divite vena,  
 ac veneres, musasque Tuas, Charitesque probarunt  
 Omnes, nunc omnis quoque comprobat optima mentis  
 Munera, Jusitiam dum monstras ore disertio  
 Legibus humanis nostris ac pondus inesse;  
 Gratulor bis studiis, ac premia grata sequantur  
 Digna Tuis meritis, voDeo Tibi Fautor, Amice.

Nobilissimis Ingenii dotibus  
 DN. GÆRTNERI, Amici sui pl. colendi  
 debuit


JOH. ESAIAS RÜHLE, D.  
 & PRÆSES.

FINIS




















cimus. Non equidem hic a  
Legibus adstruere laboram  
quidam faciunt, qui ab anti  
ac nocturno cum Ægeriâ Nu  
deri possunt *Tit. Liv. l. 10. p. 25*  
agam, ut æquitatem earum a  
morum Virorum probem te  
in re ne prolixus sim actum  
politissimum Scriptorem Ar  
*de Auctorit. Juris Civil. Roma*  
bis duo hic saltim memoran  
fa, cum à Viris undiquaque  
Primi itaque testimonii aucto  
STRUVIUS Patronus noster  
*d. Vind. priv. c. 1. aphor. 2. num*  
*Et æquiores invenias legibus J*  
*dentissimis Jctis* (non obstan  
*senbec. in proem. Instit. d. Cor*  
qui dexteritate judicii &c.) *Im*  
*ipsa Naturali Æquitate sunt*  
*Natura egregie est excultum:*  
*ris recepta, Et ubique magna fa*  
dem celebratissimum Virum  
*tb. 36.* Aliud in hanc rem test  
placet, ortum debet SCIPIONI  
gno Germano, acuto & edecu  
scribit in Oratione de Lege R  
ropa ad hunc usque diem fu  
cto Jus Romanum & Codice  
misque in rebus habet: Ta  
Galliam, Hispaniam, quæ qu

iquid Romanis  
origine, quod  
petunt fabulis  
u, qua de re vi  
sed illud potius  
ntiam doctissi  
a quidem ipsa  
me remitto ad  
kium in *Tract.*  
ura notat. No  
lque ea de cau  
ortum trahant.  
minentissimus  
simus in *Tract.*  
liores inquires  
pote qua à pru  
æ habet. *We*  
verbis: Sed  
firmantibus ex  
per easdem Jus  
lurimis in ter  
tis: Vid. eun  
*Civil. Exerc. II.*  
od adducere,  
erici fratris di  
onie Viro, dum  
*seq.* Tota Eu  
imperio coa  
olit, sanctissi  
iam, Italiam,  
æ & nobilissi  
mæ



the scale towards document